

cum scientia confuderunt; posteriores a veritatis tramite longe discesserunt.

XLV. Nam *a*) ipsa *Revelationis notio* valorem universalem habet, utpote non empirica, nec ab imaginatione profecta, sed a priori, ope rationis puræ, secundum necessarias cogitandi leges formata. *b*) A DEO O. M. revelationem fidenti animo exspectamus. *c*) *Criteria sufficientia* nobis adsunt revelationem factam ceu divinam agnoscendi, atque a spuriis discernendi. *

* Neque repugnat, ut inter veritates revelatas etiam *Mysteria* existant.

XLVI. Ob triplicem mentis nostræ facultatem (posit. 12. *), atque etiam ob tres gravissimi momenti quæstiones (posit 1.) RELIGIO (*subjective sumta*) seu directio animi in DEUM tribus partibus constare debet *Fide*, *Spe* et *Charitate*: prima in DEUM et DEO credimus; altera a Remuneratore sapientissimo felicitatem speramus; tertia in Prototypon sanctissimum tendimus. Tot itaque objecta sunt, in quibus divino magisterio instrui vehementer exoptamus.

CA-